



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Örigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Apanta Ta Ellēnisti Heuriskomena

Cui idem præfixit Origeniana, Tripartitum opus, quo Origenis narratur vita,
doctrina excutitur, scripta recensentur

Origenes

Rothomagi, 1668

I. Vtrum circumscriptam esse Dei potentiam Adamantius dixerit:

urn:nbn:de:hbz:466:1-25059

neutiquam cogitantes se, dum in Origenem officiosi esse student, existimationi suæ ac pudori parum consulere. Nobis veritatem persequi propositum est, & Adamantium vel accusare, si ita res ferat, vel excusare, quoad patietur candor noster; sed ita tamen ut ad præstandum ipsi defensionis officium sumus paratiores: quod triplici fere ratione facere institimus, vel molli ac benigna interpretatione locis controversis adhibita; vel prolatis ex ipso Origene contrariis ac repugnantibus effatis; vel similibus Patrum adductis sententijs. Posterior uterque defensionis modus à nonnullis reprobatus est, & secundus quidem ab insigni ætatis nostræ Theologo, idcirco nimirum quod ex oppositis Origenis testimonijs concluditur solummodo diversa ipsum sensisse, non vero perverfis opinionibus neutiquam adhasisse. At non aliam tamen protegendi Adamantij commodiorem viam insistere se putavit Pamphilus in Apologetico. Nam cum ab Hæreticis violata esse constaret Origeniana volumina, si quæ sententiarum deprehendebatur varietas, merito in Hæreticorum fraudes varietatis causa convertebatur. Præterea ut errasse Origenem demus, fatendum est saltem incertum animi in ijs fuisse questionibus, & à pertinaciæ crimine longe abfuisse, quo uno satis purgatur. Tertia quoque tuendi Origenis ratio, quæ ex Patrum adimplatione sumitur, repudiatur ab Hieronymo; qui, cū eodem pacto Origenem defendisset Iohannes Hierosolymitanus, hæc scripsit ad Theophilum: *Novum defensionis genus, sic Origenis vitia non negare, ut cum illo ceteros crimineris. Videlicet quem aperte defendere non audeas, multorum simili errore tutaris.* Nempe non raro contigit, ut quod in Origene damnabat Hieronymus, ejus ipse reus teneretur. Id cum ipsi objicerent adversarij; purgari Origenem volebat, non suo aliorumque exemplo defendi. Quapropter Rufinus Invect. 1. ita loquentem inducit Hieronymum: *Omnes isti (Patres) ut Origenes erraverunt; sed accipiant erroris sui veniam, quia & ego aliquando erravi, & nunc penitentiam gero, sed veniam accipere debeo. Origenes vero cum eadem qua ego dixerit, etiam si penitentem in egit, veniam non accipiet: imo pro his que omnes diximus, solus ipse damnatur.* Si quando vero accusabatur Hieronymus ipse, Origenis patrocinium pro se ambire non dubitabat: sibi concedi volens, quod negabat Origeni. Merito itaque ait Rufinus Invect. 2. *Sive hoc fecit Origenes, sive non fecit, quid ad te? Si ad illius exemplam judicari vis, relegere sententias tuas, & vide quid dixeris. Hoc non est, inquis, se purgare; sed socios criminis querere. Noli ergo & tu socios criminis querere, sed purgationem facti require.* Profecto hæc si criminationum eripiatur depulsio, legitimo & in ejusmodi controversijs receptissimo defensionis argumento carebimus, & à Patribus etiam post Hieronymum sæpe usurpato. Nam, ut alios sileam, numquid simili patrocinio Theodori Mopsuesteni causam munivit Facundus, qui undecimum Operis sui librum conquiritis Patrum paribus sententijs totum refert: *Statuimus* inquit, *in hoc volumine magnorum virorum dicta proferre similia, ad excusandam difficultiora his pro quibus eum putaverunt, tanquam magistrum Nestoris, anatbematè percellendum.* Et nunc in velitationibus adversus Heterodoxos, quid utilitatis quam suffragio Patrum, & consensione pugnare? Triplici hoc ergo vallatus præsidio, prodeat tandem ad pugnam Origenes.

Hujus dogmata questionibus quatuordecim comprehendimus. I. est de Deo: II. de sanctissima Trinitate: III. de Christo, ejusque Incarnatione & *oikoumene*. IV. de B. Maria Virgine: V. de Angelis bonis & malis: VI. de anima: VII. de libero arbitrio, gratia, & prædestinatione: VIII. de Astris: IX. de resurrectione mortuorum: X. de postremo judicio: XI. de pœnis & premijs: XII. de mundo, Paradiso terrestri, & Adamo: XIII. de allegorica Scripturæ interpretatione: XIV. quaestiuiculas aliquot quasi per saturam complectitur.

QUESTIO PRIMA.

DE DEO.

I. *Utrum circumscriptam esse Dei potentiam Adamantius dixerit: II. quemadmodum ipsi à Patribus quibusdam objicitur: III. cui & nonnulli assensu sunt. IV. Ex Academia manavit isthæc doctrina. V. Utrum corporeum esse Deum ratus sit. VI. Ab hæreseos hujus suspitione vindicatur. VII. Objecta diluuntur. VIII. Multos hic error infecit.*

I. **P** R I M V M hoc nomine vapulat Adamantius, quod finitam esse ac terminis circumscriptam Dei potentiam crediderit, totque eum procreasse res, quot providentia sua continere & administrare poterat; tantam eam fecisse materiam, quantum valebat ornare, & in rerum formas dividere; tantum ipsum potuisse, quantum ei ad agendum materia ministravit; nec in infinitum proferendam ejus potentiam, laudis ob-

A tentu; ne seipfam quippe à se intellectum iri nisi determinata foret, infinitum enim comprehendendi non posse. Quotiescumque igitur Deum omnipotentem Origenes dixerit, res omnes quæ ab eo creatæ sunt in ejus esse potestate; non vero infinitum rerum numerum ab eo creati, & ad libitum regi posse intellexerit; hoc est, esse quidem eum *παντοκράτωρα*, at *παντοδύναμον* non esse. Atque hac sane sententia ex his ejus verbis satis extat: *Deus Patet omnipotens est, eo quod potentatam omnium tenet, idest cæli & terre, Solis & Luna, & stellarum* Orig. lib. 1. De princip. cap. 2.

B II. Itaque hoc ei crimen objicit Theophilus Alexandrinus in prima Paschali Epistola; cui testificando disertum profert è primo De principiis libro fragmentum Iustinianus Imperator, quod in Latina Rufini interpretatione libro 2. cap. 2. non parum deformatum Iustin. in Epist. ad Nicen. reperitur. Præterea idcirco mundum Deo coæternum credidisse illum refert Methodius apud Photium Cod. 235, quod semper fuerit *παντοκράτωρ*, minime autem *παντοδύναμος* esse posse *αὐτὸν ἢ πᾶσι δυνάμει*. Vnde sequitur omnipotentem esse, non quod omnia possit efficere, sed quod in omnia quæ sunt potestatem habeat. Rufinus Palæstinus in libello De fide, quem edidit Sirmundus: *impie, inquit, Origenes, ac nefarie fatus est, qui sic dixit: Non omnia quæ voluit Deus fecit, sed ea tantum quæ potuit continere, & comprehendere. Qui cum hoc dixit, ademit Domino cunctorum potentiam, quasi ex parte dimidia ei faciendi potestas daretur. Nam si continendi, ac sibi quæ faceret subjugandi non habet, ut ille asimat, facultatem, ne creandi quidem scilicet potestatem habeat. Nam qui creandi facultatem habet, & subjugandi sibi creata similiter habeat.*

C III. Vanum ergo Origeni patrociniū præbet Halloxius, id sibi velle Origenem prædicans, *cuncta Deo esse subiecta, & ejus omnipotentia in creando aequalem esse sapientiam in gubernando, ita ut numquam fieri possit, ut tot tantæque creet, quin tot & tanta gubernare possit; ut sapientia gubernatoris æquiparetur potentie conditoris.* Quod si in eadem quaestione celsipantium numerus facere aliquid potest pro causa Origenis, dabimus Petrum Abaelardum, hominem in quieti ingenij, & novarum opinionum studiosi, qui libr. 3. Introduc. Theolog. cap. 5. ita disputat: *Quantum igitur estimo, cum id tantum Deus facere possit, quod cum facere convenit, nec eum quidquam facere convenit, quod facere prætermittat, profecto id solum eum posse facere arbitror, quod quandoque facit: licet hac nostra opinio paucos aut nullos habeat assentatores, & plurimum dictis Sanctorum, & aliquantulum à ratione dissentire videatur.* Dabimus & Gulielmum Parisiensem, qui plures à Deo mundos procreari posse negabat. Hall. lib. 4. Origen. def. Quæst. 6.

D IV. Videntur ea profecto è Vereris Academia orta decretis: docuit enim Plato, quem fere assecratur Adamantius, Deum esse ipsum animum mundi, omnia quæ in mundo sunt procurantem & administrantem. Cicero i. Academ. Quæst. Partes autem esse mundi (putant Academici) omnia quæ insunt in eo, quæ natura sentiente teneantur, in qua ratio perfecta insit, quæ sit eadem sempiterna; nihil enim valentius esse à quo intereat. *Quam vim animum esse dicunt mundi, eandemque esse mentem, sapientiamque perfectam, quam Deum appellant, omniumque rerum quæ sunt ei subiecta quasi prædentiam quamdam, procurantem caelestia maxime, deinde in terris ea quæ pertinent ad homines, quam interdam necessitatem appellant, quia nihil aliter esse possit, atque ab ea constitutum sit.* Atqui rei uniuscujusque animus huic animandæ & regendæ par, vim suam ad plura animanda non potest exerece; intra rei enim sibi subiectæ terminos hæc ipsius vis cohibetur. E Animus ergo mundi, qui juxta Platonem Deus ipse est, potestatem suam ad aliud animandum extra mundum proferre non potest; igitur ne ad creandum quidem. Quapropter Plotinus nihil creare Deum posse decrevit, præterquam quod creavit. Plot. Enn. 1. lib. 3. cap. 12.

F V. Deo corpus ab Origene adscriptum fuisse nonnulla persuadere possunt. Primum argumentatio illa, quam è libr. 3. *ὁ θεὸς ἀσπῶν* adducit Hieronymus Epist. 59. ad Avit. cap. 3. qua animam corpore carituram demonstrare studet Adamantius, quia Sancti Deo similes futuri sunt, juxta illud Christi: *Vt quo modo ego & tu unum sumus, sic & isti in nobis unum sint;* Job. 17. 21. Deus autem est incorporeus. Quod ipsum reperire licet Homil. 1. in Genes. & libr. 6. contr. Cels. At ostendemus in sequentibus, animam licet incorporealem statuere videatur, talem tamen respectu crassiorum corporum ab eo prædicari, revera corpore præditam decerni; quemadmodum vel ex priorè capite librorum De princip. perspicuum est, ubi vim vocis hujus, *ἀσπῶν* exponens, accipi docet pro eo quod non est simile huic nostro crassiori, & visibili corpori, sed quod est naturaliter subtile & velut aura tenue. Deus igitur cui anima similis est, juxta Origenem reapse corporalis est, sed graviorum tantum ratione corporum incorporeus. Hieronymus præterea cap. 3. memoratè ad Avitum Epistola, ait Origenem ad extremum libri 3. *ὁ θεὸς ἀσπῶν* hæc intulisse: *Et erit Deus omnia in omnibus, ut universa natura corporea redigatur in eam substantiam qua omnibus melior est, in divinam scilicet qua nulla est melior.* Et sub finem ejusdem Epistolæ refert Origenem libr. 4. *ὁ θεὸς ἀσπῶν* conjungere omnes rationabiles naturas, idest Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, Angelos, Potestates, Dominationes, cæterasque Virtutes, ipsum quoque hominem secundum animæ dignitatem unius esse substantiæ. Id ipsum ex ejus doctrina consequi probat Theophilus Alexandrinus i. Pasch.